Hispalen. Applicationis Missæ pro Populo

Super Remissoria, & Compulsoria.

Rev. Pater. IUstissima urget causa, eaque ab omni calumniæ suspicione immunis, ut eo in supposito hæsitandi de nostris adductis probationibus, earumque legalitate à clementia Sac. Tribunalis indulgeatur prorogatio termini, aut illius nova concessio ad perficiendam incæptam, & non absolutam ex facto Capituli remissoriam, & compulsoriam; Cum enim Sac. Tribunal examinata, & comperta relevantia materiæ articulatæ, & necessitate compulsandi, & vindicandi ab oppositis exceptionibus iura in probationem vigentis consuetudinis applicandi Missas de Tertia pro Populo *recedendo à Decisis sub die* 31. *Ianuarii* 1755. concesserit Promotori Fiscali litteras remissoriales, & compulsoriales in acerrima Capituli oppugnatione *die* 14. *Iunii* 1756. evulgata luculenta *Decisione à bon. mem. Canilliac*, quæ adnexa distribuitur, & in illarum sequelam incæpta extiterit Iurium compulsatio, ac Testes inducti, & ob tricas, & quæstiones à Capitulo excitatas, & ob suspensum terminum in ultima prorogatione præfinitum compulsatio perfici, & Testes rogari nequiverint, ut latè probavimus *in nostr. Memoriali à* §.3. *ad* 7.

3 Profectò Ius, & iustitia non patitur, quod Promotor Fiscalis gerens in Causa figuram *Actoris* in suis probationibus angustiatus Causa cadat, & Capitulum, cui tanquam *Reo* nullum infertur præiudicium ab indulgenda prorogatione, aut nova concessione, compendium ex proprio facto assequatur in eversionem piæ, & laudabilis consuetudinis semel, & iterùm in suo contemporaneo *Restr.*§.33.*&* 35.*&* 39. denuò obiicit illegalitatem Librorum, nullamque promereri fidem propugnat, ac de illegalitate redarguit illorum recognitionem peractam à duobus præstantissimis Peritis, ac *in* §.39. *&* 44., denuo obtrudit Testes inductos non fuisse formiter examinatos, & acta respicientia reductionem Missarum extracta fuisse ab Archivio Collectoriæ sine citatione Capituli. Si enim Sac. Tribunal ad huiusmodi propulsandas exceptiones Compulsoriam, & Remissoriam concessit; ut liquet ex dicta *Decis. bon. mem. Canilliac* §.3. *cum seqq.*; *&* §. *final.*, earumque vigore, nec Testes examinari, nec Iurium compulsatio perfici potuit *Summario Reassum. num.*13., *&* 17. ob tricas Capituli, quæ co-

eogerunt Iudicem Subdelegatum *semel*, *bis*, *& tertio* acta ad Delegantem pro Consilio remittere *dicto Summario num.* 11., *&* 12. maxima opus est confidentia, ut eodem tempore, quo exceptiones refricantur, acerrima fiat oppositio, ne terminus ad illas propulsandas prorogetur, & Ius actoris perimatur ex defectu probationum, in quibus ipse angustiatur.

3 In vanum propterea *in contr. Memoriali* § 2. *cum seqq.* declamatur Testium examen, & Iurium compulsatio peracta coram Ordinario, Nuncio, & Sac. Auditorio, & obtruditur Decisio *diei* 14. *Ianuarii* 1755., quia hisce omnibus satisfecit successiva Decisio bon. mem. Canilliac præcedentis revocatoria, quæ recognovit, quod Promothor Fiscalis remissoria indulta à Nuncio usus non fuit, nec necessitatem illa utendi umquam habuit, ex quo à Capitulo consuetudo applicandi nunquam in quæstionem fuit adducta, immò *admissa*, ut etiam liquet in *nostr. Summario addit. num.* 21., *&* 22.; quodque vigore remissoriæ à Capitulo impetratæ, & sine usu relictæ licet dictus Principalis nonnullos Testes in termino reprobatorio examinari curaverit; Capitulum tamen illos magna virium contentione impugnavit, prevaluitque exceptio, quod fuerint sine citatione Capituli examinati, uti referentes verba dictæ Decisionis demonstravimus in *nost. Mem.* §.7.

4 Prorsus vero illiberaliter instantia prorogationis termini ad perficiendam remissoriam criminatur de evidenti calumnia sub obtutu, quod Testes producendi, & illius vigore examinandi ad probandam consuetudinem habere deberent ætatem supra centum annos, ut contendit *contr. Memoriale* § 8., *&* 9. Cum enim huiusmodi criminatio fuerit despecta à Sac. Tribunali in die concessionis remissoriæ, quia curæ, & oneri Promotoris Fiscalis relinqui debet Testes seligere ad probandam consuetudinem idoneos, ut *in d. Decis. bon. m. Canilliac* §.7. eo certius despicienda venit hodie, quo petitur prorogari terminum ad effectum perficiendi inceptam Remissoriam, ut probavimus in *nostr. Memoriali* §.9., *&* 10.

5 Minime subsistente animadversione, quod licet Principalis, dùm lis agebatur in partibus, compluresi produxerit Testes, eosque examinari curaverit, & ab illorũ testificatis nulla emersit probatio consuetudinis, ut obiicitur in *contr. Memoriali* §.9., *&* 10., quia recurrit responsio, quod sicuti per Capitulum consuetudo applicandi in partibus nunquam in questionem fuit adducta, immò ea præsupposita fuit solummodo adnisus in Beneficiatos servitores refundere onus applicationis, quin teneretur illis stipendium ullum persolvere, ita D. Principalis nullam umquam habuit necessitatem inducendi, & examinandi Testes pro effectu probandi eam consuetudinem, quæ minime inficiabatur, ut recognovit nostra *Decisio bo. m. Canilliac* § 7.

6 Nec benè supponitur *in contrario Memoriali* §. 11. Consuetudi-

dinem, quam per Testes probare contendimus, exclusam remanere ex Iuribus exhibitis, in quibus onus celebrandi, non verò applicandi iniunctum legitur. Quippe quia vigore Remissoriæ cùm rogandi essent Testes super usu, & communi loquendi more, quod verba *celebrandi pro Populo* idem significant, ac *applicare pro Populo*, & propter suspensionem termini concessi cum ultima prorogatione, & Actuarii infirmitates *non vi è stato tempo per esaminare Testimonii sebbene per parte di detto Fiscale siasi chiesto, che da Sua Signoria si assegni il giorno, ora, e sito à questo effetto necessario*, ut Iudex Subdelegatus testatus fuit in formali Decreto, *nostro Summario reassumen. num.* 12.; omnis æqui bonique ratio postulat, quod Testium examen, quod tunc non valuit inchoari, & successivè inceptum vigore prorogationis indultæ à R. P. D. Herreros perfici nequivit propter frivolas Capituli appellationes, *dicto Summario num.* 17. *& seq.*, perficiatur cum nova indulgenda prorogatione, ne Actor sine culpa Causæ cadat.

7 Pari fragilitate *contrar. Memoriale* §. 13. remorare renititur indulgendam termini prorogationem, seù novam concessionem ad perficiendam Compulsoriam, sub obtutu quod non semel, sed pluries expleta fuit compulsatio. Falsum enim est, quod nostra Iura ante concessionem Compulsoriæ pluries fuerint compulsata; Veritas namque est, quod cum eadem Jura sine citatione Capituli fuissent extracta, ac ab eodem Capitulo opposita, & à Sacro Tribunali admissa extitisset illegalitatis exceptio, hinc *in finem iterum extrahendi Scripturas legitimo medio, ac propulsandi exceptionem illegalitatis oppositam, & admissam adversus priorem extractionem Compulsoria fuit Promotori Fiscali concessa, prout ex hac eadem ratione tutius eidem impartita pariter fuit Remissoria*, ut obiectioni repetitæ Compulsationis reposuit per eadem verba *nostra Decisio coram bo. mem. Canilliac*. Si ergo Compulsoria fuit concessa ad finem iterum extrahendi Scripturas legitimo medio, & propulsandi propositas illegalitatis exceptiones, innegabile est, quod refricante Capitulo easdem illegalitatis exceptiones perfici debeat incepta Compulsatio cum præfinitione congrui termini, qui *è necessario, e conveniente all'una, e all'altra Parte per rapporto à quello, che hanno chiesto, e dedotto*, ut ipse Iudex Subdelegatus in suis Litteris testatus fuit, *Summ. reassum. nu.* 12. *litt. D.*

8 Nec sine veritatis læsione proponi potest, quod Principalis non curavit statim compertis vitiis, quibus Codices Visitationum laborabant, instare coram Iudice Subdelegato, ut haberetur diligens inquisitio, ex qua dignosceretur unde vitia provenirent, & an Librorum legalitati officerent, ut mussitat *contr. Memor.* §. 14.; Quoties ex testimonio ipsius Iudicis

Sub-

Subdelegati habemus, quod R. Principalis auditis suppositis Librorum vitiis illicò *intorno à che già si è protestato à suo tempo esporre esso Fiscale quello, che conveniva per rapporto alle Persone, che devono effettuare la detta ricognizione*, quæ expleri nequivit *per trovarsi sospeso il termine, che manca dell' ultima proroga, à motivo che trovasi gravemente infermo il Notaro, Summario reassum. n. 12. litt. C., & D.*

9 Inciviliter vero adiungitur *in contr. Memor.* §. 16. & 17., quod ex nostris Iuribus, veluti loquentibus de celebratione, exclusa remaneat applicatio; quodque prorogatio termini fuerit denegata in præcedenti instantia. Cum enim omnia nostra Iura supponant obligationem Beneficiatorum celebrandi Missam de Tertia pro Populo, supponunt etiam illius applicationem, ut latè demonstravimus in contemporaneo Restrictu, tùm principali, tùm Responsionis. Denegata vero prorogatio in præcedenti Instantia operativa haud est, ut etiam denegetur in præsenti, semel, ac extitit à denegatione reclamatum, & Causa reclamationis à Signatura commissa fuit huic Sacro Auditorio cum clausula suspensiva, *& quoad Compulsoriam, & Remissoriam utatur iure suo in Rota*, eoque hodie utitur iterum supplicando prò concessione novi termini, aut prorogatione primi, cùm appellatio fuerit à Iure introducta, ut succurratur iniustè gravatis, & læsis.

Quarè &c.

Franciscus Mazzei Adv.
Joseph Vulpius.

R. P. D.

M A N N E L L I

Hispalen. Applicationis Missæ pro Populo super Compulsoria, & Remissoria.

P R O

Rev. D. Promotore Fiscali, seù Collectoria Generali Archiepiscopatus Hispalen.

C O N T R A

Rm̃um Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Villæ de Olivares.

Gg

Restrictus Responsionis Facti, & Juris

Vident. 5., 6., & 7.

13

Typis Bernabò 1764.